

Dissertatio medica inauguralis, de rheumatismo acuto / Quam ... ex autoritate ... D. Georgii Baird ... eruditorum examini subjicit Gulielmus Nugent.

Contributors

Nugent, Gulielmus.

Baird, George Husband, 1761-1840.

Publication/Creation

Edinburgi : P. Neill, 1823.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/wz8ywn6n>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

6

DE RHEUMATISMO ACUTO.

pendere, nec eas animal vivas exigens videri
tunc, sed de quibusdam aliis propositis, quod
tunc, sed de quibusdam aliis propositis, quod

DISSERTATIO MEDICA

ut hinc contem-
num deservire agere, nonnum dignissimum

INAUGURALIS

cui medici attentis considerant, etiam nihil novi

DE

habeo quod existens agere, quam tot tanti-
que auctores hodie mihi explicarunt.

RHEUMATISMO ACUTO.

apud eos comparantur, etiam alios quosdam
ut morari.

Auctore GULIELMO NUGENT.

leviter et totius huiusmodi tractatus
more dicantur, hoc malum, sed in coram temporis-
bus non existit, aut hic coram uti morbus peculiaris.

CUM hujus Almæ Academiae legibus sapienter
provisum est, ut qui honestum Doctoratus Medi-
ci gradum ambiat, tractatum de aliqua re medica
eruditorum examini subjiciat, ex quo noscatur
quantos in arte salutifera progressus fecerit, pagi-
nas has in hunc finem conscripsi : vix tamen fieri
potest, ut, qui tot rebus simul incumbere debeat,
cujusque animus scientia tam multiplice distraha-
tur, opus condant ab omni parte completum et ab-
solutum, quippe cui non liceat id temporis im-

*

A F

[1823]



pendere, nec eas animi vires, quas exigere videatur, res de qua tractare sibi proposuerit.

Rogo igitur, Doctissimi Professores, quibus vel optimum tironis scriptum imperfectum videretur, ut huic tentamini ignoscatis, dum Rheumatismum describere aggrediar, morbum dignissimum cui medici attentio conferatur, etsi nihil novi habeo quod curationi adjiciam, quam tot tantique auctores hodierni explicarunt.

Ex veterum scriptis vix videretur hic morbus apud eos comparuisse, etsi affectiones quasdam memorant ei haud absimiles; quas tamen adeo leviter et turbate describunt, ut forsitan haud temere dicatur, hoc malum, aut in eorum temporibus non extitisse, aut iis certe uti morbus peculiaris haud innotuisse.

BALLONIUS videtur esse primus qui Rheumatismum descripserit ut morbum ab aliis distinctum. Hic discrimen satis accuratum posuit inter eam et Arthritidem, Catarrhum, multosque alios affectus, quas priores confunderant. Post eum SYDENHAMUS multa, quæ ad hoc malum pertinent, clarissima luce aspersit. Celeberrimi tandem CULLENI accurata definitio nihil desiderandum reliquit: is verbis ita conceptis eum inclusit.



“ Morbus ab externa, et plerumque evidente causa : pyrexia ; dolor circa articulos, musculorum tractum sequens, genua et reliquos majores, potius quam pedum vel manuum articulos, infestans, calore externo auctus.”

HISTORIA MORBI.

INTER omnes scriptores constat Rheumatismum in frigidis regionibus sæpius quam in calidis incidere. In omnibus anni tempestatibus oriri potest, et præcipue autumno et vere sævit, præsertim si cælum mutabile sit, si calor frigusque crebro et subito sibi invicem succedant, et cum aër frigidus humidusque sit. Nulla ætas, neuter sexus, nullum temperamentum, corporis immunem præstare videtur, et quibus sanum corpus est habitusque plenus, ii sunt ad eum suscipiendum procliviores. Fœminas quoque sæpius quam viros aggredi observatur. Raro in admodum juvenibus apparet, ut plerumque a pubertatis ætate usque ad annos quadraginta advenit ; ante annum decimum secundum et post quinquagesimum in-

veniuntur quidem Rheumatismi acuti exempla, sed rarissima.

Hic morbus non semper uno eodemque modo impetum facit, quippe qui modo a generali lassitudinis sensu, corporisque membrorum præcipue, gravitate incipiat; modo a caloris sensu, cum rigoribus, quibus brevi tempore succedunt status calidus, cæteraque pyrexiae indicia: quorum hæc præcipua, anxietas, calor, sitis, inquietudo; pulsus frequens, durus, plenus et celer; lingua admodum alba, spiritusque anxius. A multis notatum est, qui de hoc malo scripserunt, cibi appetitum minus in eo quam in aliis ex genere inflammatorio imminui. Cum pyrexia per aliquod dies, duos ferme vel tres, perstiterit, tunc ægrum lacerare incipiunt dolores acuti et lancinantes, qui in variis corporis locis, artubus præsertim magnis (uti genuum, humerorum atque lumborum), at raro in articulis minoribus, sentiuntur. Hi videntur sedem suam, ut plurimum, in aponuerosi tendinea habere, et cursum musculorum sequuntur, nunc plures simul artus, nunc unum tantum exercentes, et in plerisque exemplis ultro citroque vagantes; relictis, ubi adfuerint, tumore aliquo et rubore.

Sub noctem indicia febrilia sensim gravescunt, dolorque ex calore lecti magis magisque intenditur: ipsum stragulorum pondus, motusve membrorum vel minimus, auget; et cum dolores raro nisi per breve temporis spatium in eodem loco permanent, vix aliquid levaminis ex migratione percipitur; alvus fere semper adstringitur; in quibusdam exemplis adest ab ipso morbi initio, membrorumque laborant sudor, at neque liber nec abundans, et raro dolori solamen adfert; sed quæ afficiuntur partes in his rigiditas siccitasque existere inveniuntur. Per totum fere cursum hujusce morbi, urina rubra est, at non sedimentum deponit, donec vitium fuerit ulterius progressum, et pyrexia remissiones manifestas habere incipit; tum sedimentum lateritium præstat, quod tamen non semper morbum solvit, qui diu sæpe permanent, postquam ejusmodi depositio fuerit observata. Cum in hoc morbo sanguis e vena detrahitur, superficiem coriaceam et albam ostendit; sæpe febrilia signa omnino recedunt, cum tamen dolor nec mutatus manet, vel etiam increscit: dein articulorum dolores frigore augentur, et tantum abest ut calore admoto graventur, quod in statu acuto fit, ut leventur potius; morbusque

eam formam accepit, quam Arthrodyniæ nomine aut Rheumatismi Chronici distinguunt.

CAUSÆ REMOTÆ.

HÆ (mihi videtur) dividendæ in Prædisponentes, et Occasionales vel Excitantes.

Causa Prædisponens præcipua diathesis phlogistica; in primis enim aggreditur Rheumatismus juvenes florentes, frigidarum regionum incolæ, eosque quibus temperamentum inest sanguineum, ex quibus rebus diathesis phlogistica maxime pendet. Vita quoque pigra et iners, cibus nimis lautus et stimulans, solitæque evacuationes (uti cutis exhalatio, menses, fonticuli aut hæmorrhoids) impeditæ; quæ omnia, corporis plenitudinem augendo, inter causas prædisponentes haberi possunt: præterea, quæcunque corpus debilitent aut irritabilius reddant, exempli gratia, morbi prægressi, ususve hydrargyri nimis protractus, inter has causas numerari debent; necnon ii, qui jam antea hoc morbo laborarunt, ad eum de novo suscipiendum aptiores.

Causæ Excitantes sunt omnia qui corpus nimis stimulent. Inter omnes constat, frigus corpori admotum sæpius quam aliquid præterea hoc malum inducere, utique cum humiditate conjunctum, vel si corpus calidum actioni ejus objiciatur. Exempla hujusmodi sæpe proveniunt, cum quis in lodicibus madidis accubuerit, aut vestes mardentes gesserit. Commoratio quoque in locis frigidis et humidis, inter causas excitantes recenseri potest.

CAUSA PROXIMA.

LICET causarum proximarum doctrina sit adhuc tenebris obsita, notitiamque earum in multis morbis, non nisi imperfectam et obscuram habeamus, magni tamen momenti est eas habere exploratas; quare hoc studium, esti difficillimum, minime debet omitti.

Ex mente celeberrimi BOERHAAVII, causa Rheumatismi proxima lentor est humorum; alii fluidorum acrimoniæ attribuunt. Magno CULLENO neutra complacuit sententia; ipse alteram proposuit: arteriolas nempe ligamentorum artuum

et aponeuroseos tendineæ musculorum constrictas fieri, simulque diathesin phlogisticam per cursum earum generari, unde sanguinis impetus augeatur, et cum ei liberum iter intercludatur inflammationem oriri atque dolorem. Deinde resistentiam jam memoratam vires naturæ medicatrices excitare, easque, quum constrictionem devincere summa ope nitantur, sanguinis impetum magis magisque intendere. Ideoque verisimile est causam hujus morbi proximam in sanguinis, ad partem laborantem congestionem, esse positam; cui accedat in vasculis extremis spasmus, comitante insuper affectione quadam fibræ muscularis propria, quæ rigida videtur, motum difficilius quam in statu naturali admittens.

DIAGNOSIS.

NULLA medicinæ pars plus ingenii aut validiores animi vires exigit, nulla majorem utilitatem adfert, arte morbos inter se distinguendi; sine qua prognosis non potest existere, et medicus, unica duce destitutus, huc illuc incertus vagatur. Vitia præcipua, quibus intersit ulla cum Rheu-

matismo Acuto similitudo, hæc sunt : Podagra, Syphilis, et morbi ipsius, de qua dicimus, forma vetusta.

Inter Podagram et Rheumatismum facile discrimen : in illa extremitatum artus, veluti pedum et manuum, maxime afficiuntur ; sed in hoc humeros, ulnas, genua artusque majores, plerumque occupat morbus. Podagra eos infestat qui ætate sunt proveciores, vitæque sedentariæ, præsertim mares. Rheumatismus, contra, juvenes et robustos, sexum utrumque, at maxime foemininum aggredi gestit, licet in omni ætate, sexu, et temperamento oriri potest. Minus proclivis est Podagra ad sedem mutandam, et inter fines angustiores quam Rheumatismus continetur ; ex hæreditate quoque provenit sine causa externa, certe quæ manifeste appareat. Non generatione traditur Rheumatismus, et ad frigoris effectus plerumque attribui potest. Graviore paroxysmos, plusque tumescentiæ et ruboris habet Podagra, cui plerumque antecedunt dyspepsiæ signa ; quæ in Rheumatismo omnino absunt.

In Syphilide dolores medium longorum ossium, uti tibiæ vel ulnæ, occupant ; diuturniores quo-

que sunt, et premendo augentur; abest tamen pyrexia urgens, quæ Rheumatismo comitatur.

Rheumatismus Acutus sæpe in Chronicum transit, nec facile est discrimen accuratum inter eos ponere. Cum nihil pyrexiae manet; cum artus rigescunt, comitante frigoris sensu, et sine rubore dolent; cum dolores frigore augentur, calore levantur, signa sunt morbi inveterati. Multa sunt et alia inter Rheumatismum recentem et Chronicum discrimina, adeo manifesta ut super-
vacuum sit enumerare.

PROGNOSIS.

UT de morbo quovis vere prædicamus, probe ad naturam ipsius, symptomatum gravitatem, ægrotantis quoque vires et ætatem, animum advertere debemus. In nulla enim re magis cognoscitur medicus expertus, quam si vera præsentia enunciet. His igitur rite perspectis, mihi videtur Rheumatismum esse morbum, cui insit plus ægritudinis quam periculi, utique cum ex-

ternas tantum partes corporis afficiat. Pauca, ni fallor, ad memoriam traduntur exempla, in quibus lethum adduxerit: nonnunquam tamen in caput vel pulmones impetum faciens, Apoplexiam Paralytin, aut Peripneumoniam creare potest. Si morbus diu permanserit, viresque ægri multum imminutæ sint, prognosis adhuc anceps videtur; quod si juventute floreat, progressu morbo haud debilitatus, habitusque corporis ante morbi accessum sanus fuerit; si febris brevis et cito remediis cedens; doloresque, licet urgentes, non fixi sed mutabiles, haud intus tendant; si sudor abundans, aut naturæ viribus aut remediis adhibitis, evocatus, corpus recreet, somnumque adducat; suadent omnia, ut faustum morbi finem, et sanitatem cito restitutam, speremus.

RATIO MEDENDI.

CUM inter omnes scriptores constat, semper multum inflammationis Rheumatismo Acuto adesse, prima curandi indicatio procul dubio est, phlogisticam systematis generalis diathesin amo-

vere, cutisque exhalationem promovere, aut vasorum spasmum tollere : quorum primum, venæsectione, refrigerantibus catharticis, eoque regimine quod in actione inflammatoria reprimenda usui est, efficiatur.

Venæsectio.—Nullum quidem existit remedium quod diathesin phlogisticam citius aut melius vincat, quam sanguinis inter morbi initia detractio, quæ et multa esse debet et sæpius repetita. Quo celerius e vena effluat sanguis eo plus beneficii percipitur ; ideoque pleno rivo duci oportet : nam probe sciunt qui artem salutiferam callent, paululum sanguinis ita detractum magis proficere quam si longe plus sed lentius abstrahatur. Si post paucas horas febrilia et alia indicia non mitescant, sanguis iterum mitti debet. Quod ad quantitatem detrahendam attinet, nulla generalis norma dari potest ; at si animum sequentibus probe advertamus, plerumque ostendent quantum et quoties emitti debeat ; nimirum, ægri ætas, sexus, vires, corporis plenitudo et temperamentum ; doloris gravitas ; systematis arterialis actio ; ususque quem hujus remedii jam ante fecerimus. Sed licet venæsectio, recte et cum judicio adhibita, re-

medium est præstantissimum, summa tamen cura adhiberi oportet, ne sæpius eo, aut copiosius quam necesse sit, utamur. Quum morbi gravissimi ex nimia hac depletione oriuntur, quales sunt Hydrops, Arthrodynia, debilitasque nec-medenda. Sat sanguinis, e brachio detracto, depletio localis adhibenda, hirudinibus parti qui laborat impositis: et si tensio, tumescentia, calor ruborque urgeant, sanguinem ita detrahi plurimum proderit; minusque damni quam abstractio generalis, systemati adducet.

Cathartica Refrigerantia.—Manifestum est ea ad diathesin phlogisticam devincendam aptari; proximumque locum venæsectioni occuparunt. At cum morbus generalis evasit urgensque, crebra alvi depletio, ob motum atque dolorem inductos, incommoda erit vel etiam noxia; ideoque, quantum fieri possit, vitanda. Quum igitur purgantia administranda veniunt, debent esse mitissima; quales sunt Super-Tartras Potassæ, Sulphas Magnesiae, Oleum Ricini, cæteraque ejusmodi. Enemata quoque emollientia, fæces induratos, quæ canalem intestinalem irritant, depellendo, proderunt.

Regimen Antiphlogisticum, quod stimulantia, quæ fere semper humano corpori admoventur, evitat aut imminuit; sedulo per totum hujus morbi cursum adhiberi oportet. Horum irritantium præcipua sunt, calor, cibus irritans, potus inebriantes, et nimia vel corporis vel animi exercitatio. Ægri cubiculum non debet ultra gradum FAHRENHEITII 60um caleferi.

Diæta levis et facilis digestu; nempe juscula tenuia, fructusque subacidi, uti Citra aurantia, adhibenda est; potus debet decoctum esse hordei, serum lactis, et alia ejusdem generis, quæ alvum liberam servant, vel certe prohibeant quo minus constipetur. Pyrexia, remediis jam memoratis, superata, alia manet indicatio princeps, nimirum ut depellantur spasmata arterias extremas lacescentia; quod optime his rebus afficitur quæ simul sudorem faciant, simulque quam minimam excitationis creent. Medicamentum quod ad huncce finem egregie conducit, pulvis est Ipecacuanhæ compositus, quem, et in hoc et in multis aliis morbis, omnes medici recentes summis laudibus nec immerito extulerunt. Sudor quam mitissime eliciendus; ideoque a parva pulveris quantitate incipere oportet, quæ, justis

temporis spatiis interpositis, repetenda, donec sudor erumpat. Medicamentum hoc ita exhibitum raro nauseam provocat, et fere semper optato fini respondet, præsertim si fomenta simul inferiori corporis parti applicentur, quæ, actione relaxante, sudori generando multum conferunt. Haustus quoque cum Aqua Acetatis Ammoniaæ vel Vino Antimoniale et Tinctura Opii, cæteris remediis auxilium subinde adhibeatur, plurimumque ad sudorem efficiendum et dolores sedandos conducit. Hoc modo sudor potest per horas viginti quatuor, vel quadraginta octo, si opus sit, sustineri. Sed quousque hoc remedio uti liceat, tantummodo ex beneficio quod æger accipiat, dolorum levamine, viriumque imminutione quam subieret, dijudicandum. Suadent medici ut sudorem matutino tempore elicere conemur, propterea quod secretiones omnes facilius die quam noctu promoventur, nec abest periculum, ne dum æger, et ei ministrantes, in somnum noctu inciderint, potus exhibitio omittatur, sine quo sudor pergere nequit. Dum manat sudor diluentia, potissimum quæ minime stimulent, liberrime adhibenda, et æger in lectum inter stragula lanea

imponendus ; linteum enim cito madescit, atque, si per breve tempus a corpore amoveatur, frigescent, et remedii effectum, et sudoris cursum impedit.

Emetica sic adhibita, ut parum tantum nausea inducant, haud sine beneficio, *Diatesi Phlogistica* partim devicta, administrantur ; nec raro quoque leniter purgant, cutis halitum promovent, et pyrexiam minuunt.

Vesicatoria quoque multum in hoc morbo proficient, si prius adhibeantur, quam indicia febrilia ingravescant ; sed cum pyrexia urgens est, et dolores huc illuc vagantur, eorum applicatio plus mali quam beneficii adducet. In hoc statu corpus proclive est ad eam morbi formam, quæ *Arthrodynia* vocatur, suscipiendam ; summa igitur cura adhibenda est, ut huic diro malo præcaveatur, causis omnibus quæ excitare possint sedulo evitatis, et diæta præsertim recte ordinata. Victus sit levissimus, potissimum ex vegetabilibus farinaceis et lacte constans : et plurimum interest, ut cibus animalis, omnino dum aliquid inflammationis adest prohibendus, sensim resumatur.

Actione inflammatoria, venæsectione aliisque remediis supra memoratis, ablata, usus Cinchonæ officinalis, a multis et celeberrimis medicis, inter quos sunt FOTHERGILL et SAUNDERS, laudatus, —auxilio admodum efficaci erit hunc morbum in statu secundo tractanti, aut dum procedat convalescentia. Hæc indiciorum febrilium remissione notatur. Lingua, quam sordes densæ tegerant, nitida fit, humida, et colore naturali : urina, gravitate specifica minore, speciem saniozem præbet ; alvus naturalis, cutis relaxata, et nihil nisi simplex debilitas adhuc permanet.

Conamen hoc, judicio vestro, Doctissimi Professores, cum animi sensu gratissimo, subjicio, et siquid forte erraverim, oro faciles condonetis.

FINIS.

ab 11 9